non subalternetur sub Beatorum, ut est praecise habitus principiorum, sed prout simul est scientificus. ad 5. dico, id verum esse in suis naturalibus discursivis, non vero in suis supernaturalibus et non discursivis, ubi sufficit certo videre simul omnia unico quasi intuitu, unde certitudo et necessaria evidentia habitus est, quod sufficit.

§ 2

## An theologia sit simul formaliter eminenter speculativa et practica simul?

Supponitur quod sit praxis et speculatio supponendo ex dictis in philosophia, hinc tantum id repetendum est denuo, quod aliquid tripliciter posse contineri in alio, 1. formaliter tantum, sicut rationalitas est in homine; 2. eminenter tantum, ut calor est in sole, 3. eminenter et formaliter simul, ut sensitivum et vegetativum continetur in homine. iuxta hanc ultimam continentiam explicatur illud theologicum axioma, quae sunt dispersa in inferioribus, sunt adunata in superioribus, sic sensus inferiores visus, auditus etc. sunt dispersi in inferioribus, et adunati in sensu communi velut superiori, in quo superiori non tantum res non habentur cum ipsis limitationibus et imperfectionibus cum quibus habebantur in inferioribus, sed sub altiori lumine procedunt, sic esse vegetativum et sensitivum sub ratione superiore continentur in anima rationali, quae sunt in bruto et planta et ideo contenta in anima rationali non constituunt hominem brutum et plantam, quia sub altiori lumine hic continentur. 2. 9.

© Universitätsbibliothek Heidelberg
https://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII65/0025
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
gefördert durch Baden-Württemberg